# Przywilej Generalny dla Żydów w Wielkopolsce – Statut Kaliski - Tekst łaciński

In nomine Domini amen. Humani generis actiones, nisi vigeant voce testium aut testimonio literarum, celeriter transeunt et prorsus a memoria relabuntur. Igitur nos Boleslaus Dei gracia dux Maioris Polonie notum facimus tam presentibus quam futuris ad quorum notitiam devenerit presens scriptum, quod Iudeis nostris per totum districtum nostri dominii constitutis, eorum statuta et privilegia que a nobis obtinuerunt, de verbo ad verbum, prout in sequenti serie continentur, taliter duximus declaranda. 1. Primum quidem statuimus, ut pro pecunia aut pro quacunque re mobili vel immobili, aut in causa criminali que tangit personam aut res Iudei, nullus Christianus contra Iudeum, nisi cum Christiano et Iudeo, in testimonium admittatur. 2. Item, si Christianus Iudeum impedit, asserens quod ei pignora sua obligaverit, et Iudeus diffitetur, et Christianus Iudei simplicibus verbis fidem noluerit adhibere, Iudeus iurando super equivalente sibi oblato suam intentionem probabit et transeat absolutus. 3. Si Christianus obligaverit Iudeo pignus, asserens quod Iudeo pro minori pecunia obligaverit quam Iudeus confiteatur, iurabit Iudeus super pignore sibi obligato, et quod iuramento probaveit, Christianus ei solvere non recuset. 4. Item, si Iudeus Christiano testibus non assumptis dicat, se pignus mutuasse, et ille negaverit, super hoc Christianus solius sui iuramento se expurget. 5. Iudeus recipere poterit nomine pignorum omnia que sibi fuerint oblata, quocunque nomine vocentur, nulla de his inquisitione facta: exceptis vestibus sanguinolentis et madefactis, et sacris vestibus, quas Iudeus nullatenus acceptabit. 6. Item, si Christianus impediret Iudeum, quia pignus quod Iudeus habet, ei furtim vel per violenciam sit ablatum, Iudeus iuret super illo pignore: quod cum recepit, furtim ablatum vel raptim ignoraverit: hoc in suo iuramento implicito, quanto sit pignus huiusmodi obligatum probabit, et sic expurgacione facta, Christianus sortem et usuram ei persolvet que medio tempore accreverunt.

7. Si autem Iudeus per casum incendii, aut per furtum, aut per vim, res suas cum oblatis sibi pignoribus amiserit, et hoc constiterit, et Christianus qui hoc obligaverat nichilominus eum impetit, Iudeus iuramento se proprio absolvet.

8. Item, si Iudei inter se de facto discordiam moverint aut guerram, iudex civitatis nostre nullam iurisdicionem sibi vindicet in eosdem, sed nos tantummodo aut noster palatinus vel eius iudex iudicium exercebit. Si autem reatus vergit in personam, nobis tantummodo hic casus reservabitur iudicandus.

9. Item, si Christianus Iudeo vulnus qualitercunque inflixerit, reus nobis et nostro palatino penam solvat, secundum quod nostram graciam poterit invenire, nostre camere deferendam; et vulnerato satisfaciat pro curatione vulnerum et expensis, ut iura terre nostre requirunt et exigunt.

10. Item, si Christianus Iudeum occiderit, digno iudicio puniatur, et omnia rei mobilia et immobilia in nostram transeant potestatem. 11. Item, si Christianus Iudeum ceciderit, ita tamen ut sanguinem non effundat, pena per palatinum requiretur secundum terre nostre consuetudinem ab eodem; et percusso seu leso satisfaciat, quemadmodum in terra nostra est consuetum. Si vero pecuniam habere non poterit, idem pro commisso sicut iustum fuerit punietur.

12. Ubicumque Iudeus dominium nostrum transierit, nullus ei aliquod impedimentum prestabit nec molestiam inferat aut gravamen. Sed si aliquas merces aut aliquas res duxerit, muta debent ex eis provenire per omnia mutarum loca; et sic quoque ipse Iudeus nonnisi debitam solvat mutam, quam solveret unus civium civitatis illius, in qua Iudeus eo tempore commoratur.

13. Si Iudei iuxta suam consuetudinem aliquem ex mortuis suis aut de civitate in civitatem, aut de provincia in provinciam, aut de una terra in aliam deduxerint, nichil ab eis per mutarios nostros volumus extorqueri. Si autem mutarius aliquid extorserit, ut predo volumus puniatur.

14. Item, si Christianus cimeterium eorum quocunque modo dissipaverit aut invaserit, volumus ut secundum terre nostre consuetudinem et iura graviter puniatur, et omnia sua nostre camere proveniant, quocumque nomine nuncupentur.

15. Si aliquis temerarie iactaverit super scholas Iudeorum, nostro palatino duo talenta piperis volumus ut solvat.

16. Item, si Iudeus iudici suo in pena pecuniaria que vandil dicitur reus inventus fuerit, penam talenti piperis que ab antiquo est imposita solvat eidem.

17. Si Iudeus per edictum sui iudicis vocatur ad iudicium, et primo et secundo non venerit, pro utraque vice penam que consueta est ab antiquo persolvat. Si ad tercium edictum non venerit, penam que sequitur solvat iudici memorato.

18. Item, si Iudeus Iudeum vulneraverit, penam iudici suo secundum terre nostre consuetudinem solvere non recuset.

19. Statuimus, quod nullus Iudeus iuret super rodale ipsorum, nisi sit pro magnis causis, que se extendunt usque ad L. marcas argenti, vel sit ad nostram presenciam evocatus. Pro minoribus vero causis, iurare debet ante scholas, ante ostium dicte schole.

20. Si Iudeus clam fuerit interfectus, et per testimonium contestari non possit is qui eum interemit, si post inquisitionem factam aliquem suspectum habere ceperint Iudei, nos Iudeis contra suspectum Iudei occisorem patrocinium iusticie adhibebimus, iure mediante rei. 21. Item, si Christiani alicui Iudeo manum iniecerint violentam, secundum quod ius terre nostre exegerit punientur.

22. Item, iudex Iudeorum nullam causam ortam inter Iudeos in iudicium deducat, nisi fuerit per querimoniam invitatus. Item, Iudei circa scholas, vel ubi elegerint, debent iudicari.

23. Item, si a Iudeo Christianus pignus suum absolverit ita, quod usuras non persolverit, easdem si infra mensem non dederit, illis usuris accrescant usure.

24. Item, nullum volumus in domo Iudei hospitari.

25. Si Iudeus super possessiones aut literas bonorum immobilium pecuniam mutuaverit, id quoque ille cuius res est probaverit, nos Iudeo et pecunias et literarum pignus abiudicari statuimus.

26. Item, si aliquis vel aliqua puerum ludeis abduxerit, volumus condemnetur ut fur.

27. Item, si Iudeus receperit a Christiano pignus et per spacium anni tenuerit, si pignoris valor mutuatam pecuniam non excesserit, Iudeus iudici suo pignus demonstrabit; si vero pignus bonum non fuerit, palatino nostro vel suo iudici ostendet, vel postea vendendi habebit libertatem, si idem pignus, antequam annus transierit, suo iudici demonstrabit. Si quidem pignus apud Iudeum diem et annum remanserit, nulli super hoc postea respondebit. 28. Volumus, ut nullus Iudeum super solucione pignorum in suo feriato die audeat coarctare.

29. Item, quicunque Christianus per vim abstulerit pignus suum a Iudeo, aut violentiam in domo sua exercuerit, ut dissipator nostre camere graviter puniatur.

30. Item, contra Iudeum nonnisi in scholis, vel ubi iudicantur omnes Iudei, in iudicio procedatur; exceptis nobis et nostro palatino, qui eos possunt ad nostram presenciam evocare.

31. Iuxta constitutiones Pape in nomine nostri patris sancti districtius prohibemus, ne de cetero Iudei singuli in nostro dominio constituti debeant inculpari, quod humano utantur sanguine, cum iuxta preceptum Legis, ab omni prorsus sanguine se Iudei contineant universi. Sed si aliquis Iudeus de occisione alicuius pueri Christiani per Christianum fuerit inculpatus, tribus Christianis et totidem Iudeis convinci debet; et postquam convictus fuerit, tunc ipse Iudeus tantummodo pena que sequitur puniatur crimine pro commisso. Si vero ipsum testes supradicti et sua innocencia expurgabit, penam Christianus, quam Iudeus pati debuerat, pro calumnia non immerito sustinebit.

32. Item statuimus, ut quitquid Iudeus mutuavit, sive aurum fuerit, denarii, sive argentum, idem sibi solvi vel reddi debet cum usura debita que accrevit.

33. Volumus, ut Iudei equos qualescunque, generaliter omnes, manifeste atque in luce diuturna pro pignore recipiant. Si autem aliquis equus apud Iudeum furatus, per Christianum aliquem inveniretur, Iudeus se iuramento proprio expurgabit dicens: quia eundem equum manifeste et in die pro tali quam dedit pecunia impignoratum habuit, et credebat non furatum.

34. Item inchibemus, ut monetarii in nostro dominio constituti, Iudeos cum falsis denariis vel rebus aliis, soli absque nostro nuncio vel nostri palatini seu absque civibus honestis, quoquo modo detinere vel capere non presumant. 35. Statuimus, quod si Iudeus aliquis compulsus nimia necessitate noctis tempore clamaverit, et si vicini Christiani prestare non curaverint auxilium opportunum, nec venerint ad clamorem, quilibet vicinus suus Christianus triginta solidos teneatur.

36. Statuimus eciam, ut Iudei vendant omnia libere et emant, panem tangant, similiter ut Christiani; prochibentes vero, penam nostro palatino pro eo solvere tenebuntur.

Et ut omnia que premissa sunt perpetue robur obtineant firmitatis, presens instrumentum cum testium annotatione ipsis pro cautela dedimus, cum sigilli nostri munimine roboratum. Huius vero rei testes sunt: comes Archamboldus palatinus Kalisiensis, comes Simon castellanus Gneznensis; comes Iohannes Kalisiensis, comes Mathias castellanus Lendensis, comes Cechozlaus pincerna Kalisiensis, comes Derslaus venator Lendensis, cum aliis quam pluribus baronibus terre nostre. Actum in civitate Kalis in crastino Assumpcionis beate Marie virginis, anno Domini MCCLXIV, octavo [sic] Kalendas Septembris.

*Codex diplomaticus Maioris Poloniae*, *t. 1, Poznań 1877, nr 605 (412a), s. 563–566, http://www.wbc.poznan.pl/dlibra/doccontent?id=20061&dirids=1*